



Misc. 6<sup>o</sup> Q.

Kat. Misc. I, 63.



19.  
19

DISPUTATIO THEOLOGICA

DE

# CONVERSIONE NON INSTANTANEA

---

QVAM

SVB PRAESIDIO

VIRI PLVRIMVM REVERENDI, EXCELLENTISSI-  
MI, AMPLISSIMI ATQVE DOCTISSIMI

SIGISM. JAC. BAUMGARTEN,

SACROSANCTAE THEOL. DOCTORIS, EIVSDEM IN ACADEMIA RE-  
GIA FRIDERICIANA PROFESSORIS PVBLICI ORDINARII SVI-  
QVE ORDINIS HOC TEMPORE DECANI,

PATRONI SVI AC PRAECEPTORIS NVNQVAM  
SATIS DEVENERANDI

AD DIEM NOVEMBR. MDCC XLIII.

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI EXPONIT

ILLIVS

AVCTOR ET RESPONDENS

ERNESTVS FRIDERICVS BENING,

OSNAERVGENSIS.

---

HALAE MAGDEBVRGICAE,

TYPIS STEPHAN. GODOFR. LEHMANNI.

DISPUTATIO THEOLOGICA

DE

# CONVERSIONE NON INSTANTANEA

ANNO

MDCCLXXXIII

AVT P R I M U M R E C T O R I S M A G I S T R I  
M A G I S T R I J A C O B I H A M M A N N I

P A T R O N I S V I C E P R A E S E P T O R I S N O V A M  
S A L U S D E V E R A L I Q U I

IN Q U A N T O P R A E S E P T O R I S N O V A M  
P R A E S E P T O R I S N O V A M

AVT P R I M U M R E C T O R I S M A G I S T R I

E R N E S T I F R I D E R I C I S R E G I S

M A G I S T R I

IN Q U A N T O P R A E S E P T O R I S N O V A M

P R A E S E P T O R I S N O V A M





§. I.

**I**D quod conversionem appellare solemus, non est fides in Christum ipsa; quum tamen ante istam non existat, neque locum habeat in homine rationis vsu jam prædito, nisi ad Deum sit conversus: contra ea per conversionem, fidem in homine produci, facillime vnusquisque largietur. Efficit ergo vt fides in homine illam non habente existat. Quicquid autem efficit, vt aliquid existat, est actio (per princip. dar). *Conversio itaque est actio, mediante qua fides, in homine adulto, producitur.*

Quam suppeditauimus de conversione notionem, cum sensu et loquelis sacra scriptura accurate congruit. Est enim conversio vox scripturaria et in textu originali, *ἐπιστροφή* nomine, haud semel occurrens. Sic Apostolus Act. XV, 3. narrabat *τὴν ἐπιστροφήν τῶν ἐθνῶν* fratribus. Egressus erat cum Barnaba, omnium prima vice, ad prædicandum verbum de Christo eiusque satisfactione cap. XIII, 2. 3. Prædicabat etiam istud Antiochia, in Iudæorum schola, longa et gravi oratione. At illi pertinaciter resistebant, illudentes et malitiose aspernantes verbum, quod de illorum salute illis faciebat. Convertēbat igitur sese ad gentes, qui lætitia affecti ver-

bum Domini excipiebant et credentes fiebant, secundum v. 18 ejusdem capituli. Hoc facto Antiochia, veniebat ad Iconienses, inter quos iterum ingentem multitudinem fide instruxit atque exornavit cap. XIV, 1. Post hæc transibat Apostolus regiones Phœnicia et Samariæ et fratribus, qui inde gaudium percipiebant, narrabat ethnicorum conversionem. Quum itaque omnium prima vice exierat Apostolus, ad prædicandum Evangelium, gentes, quarum hic fit mentio, non aliæ esse possunt, quam quibus antea Evangelii doctrinam manifestaverat Paulus. De his autem dicitur, quod fidem acceperint. Videmus ergo, quod asseverandum erat, Scripturam sacram non aliter loqui ac nos et Theologos nostros, scilicet quod conversio sit actio mediante qua homo adultus accipit fidem.

Diximus conversionem esse actionem, qua mediante fides in homine adulto producit et inde pater, illam nuda fidei donatione laud quam esse absolutam. Si enim dicitur, actione quadam producit fides, hoc nihil aliud est, nisi ad fidem producendam, varii actus concurrere debent, et hi simul sumti, actionem et medium, quo fides excitatur, constituunt, hoc est rationem sufficientem fidei in se continent. Non autem fuit necesse, ut hi actus definitionem ingrediantur, quia ex illis, quod in sequentibus fiet, sequuntur atque concludi possunt.

## § II.

Homo qui convertitur est adultus (§. I). Ergo de infantibus non dici potest quod convertantur. Quum autem per baptismum regenerentur (per Theol. dogm.) et regeneratio etiam nihil aliud sit, nisi fidei donatio, inde apparet, discrimen inter conversionem et regenerationem hoc versari, quod hæc de infantibus et adultis simul dici possit, ista autem non nisi de adultis valeat. Et quia renovatio et pœnitentia quotidiana jam sibi præstructam habent fidem, ut patet ex Ephes. IV, 20. in conversione homo autem demum accipiat fidem (§. I), etiam conversio non est renovatio, neque pœnitentia quotidiana. Denique externa morum emendatio non facile confundi potest cum mutatione ista, quæ ex conversione enascitur. Externi enim mores sunt actiones hominis, quatenus ex regulis de decore dijudicantur. Si

Si ergo emendantur, fit consensus istarum cum regulis de decoro major, conversio autem fidem promovet; quæ cum ergo antea non adfuerit, conversio et externa morum emendatio non alio modo conveniunt, nisi quod ambæ mutationem inferant,

## §. III.

Lex divina moralis existit, et illi vel conformantur actiones hominum ex amore Dei vel non. Si prius, oritur inde virtus christiana, sive *bona opera*, si posterius, *peccata* strictè sic dicta inde originem trahunt. Et si actiones istæ legibus non conformantur, hoc fit vel deliberato animo vel non. Peccata, quæ priori casu peraguntur, vocantur *voluntaria*; posterioris autem generis *involuntaria* sive infirmitatis.

## §. IV.

Ex theologia dogmatica sine longiori probatione, quod salva methodo fieri potest, hic assumimus: peccata voluntaria non consistere posse cum fide in Christum, et bona opera neminem peragere posse, nisi qui habeat fidem.

## §. V.

Homo qui ad Deum convertitur accipit fidem (§. I). Ergo antea illam non habuit; et quia bona opera non sunt sine fide (§. IV) nec ista perpetravit. Bona opera autem et peccata sunt contradictorie opposita (§. III); Ergo, ut peccatis antea obrutus fuerit, necessarium est consequens.

## §. VI.

*Sine peccatorum voluntariorum abolitione conversio nihil est.* Per conversionem excitatur fides in Christum salvatorem (§. I); et quia cum hac peccata voluntaria consistere ne-

queunt (§. IV), nec conversio obrinetur, si adhuc peccata voluntaria, siue proæretica, peraguntur. Ast homo ante conversionem suam peccatis erat obrutus, et quia nemo bona opera perperrare potest, nisi qui habeat fidem (§. IV), quis dicet, tot peccata, tot dissensiones a lege fuisse omnes peccata infirmitatis? Ergo, ut deponat peccata voluntaria quilibet, qui conversionem desiderat, res ipsa efflagitat. Quare cum sine peccatorum voluntariorum abolitione conversio sit impossibilis, & impossibile nihil dicatur, elucet inde, sine peccatorum voluntariorum abolitione conversionem nihil esse.

## §. VII.

*Pariter et sine fide in Christum conversio nihil est.* Quicquid enim impossibile est, illud nihil nominari, in præcedenti paragrapho diximus. Quod autem fidei carentia conversionem ad Deum impossibilem reddat, hac ratione facillime evinci potest. Vbi, de eodem subjecto, idem affirmatur et negatur, eodem respectu, necessariam illud ponit impossibilitatem. Hæc autem propositio, conversio esse potest sine fide, subjectum negat, quod prædicatum affirmat. Est enim conversio actio mediante qua fides produci- tur (§. I). Ergo conversio sine fide nihil est.

## §. VIII.

Quoniam homo convertendus ante conversionem suam legi divinæ haud quaquam obtemperabat, sed in omni peccatorum genere sese exercebat (§. V); pessima autem hæc agendi consuetudo deponi debeat in conversione (§. VI); pariter et ad meritum Christi sit confugiendum, et huic firmissima fide adhærendum (§. VII), facile hinc intelligitur, efficere hoc immutationem quandam in homine et spectari posse id quod antea aderat, nunc vero aboletur & illud quod antea



antea deerat, nunc vero producitur; simulque patet, his momentis, totum conversionis opus contineri.

Mutatio hæc, quæ in conversione locum habet, fuit causa, cur Theologi terminos duo constituerint, scil. terminum *a quo* et *ad quem*. Ethos etiam spectat Paulus Apostolus, inquiens Act. XIV, 12. *nos sumus etiam homines mortales, sicuti vos, et annunciamus vobis Evangelium, ut vos convertatis a falso Deo ad vivum Deum.* Adhortatur Apostolus ut cultum, quem falso Deo habuissent, non amplius illi tribuant; sed Deum vivum colant. Nonne ergo vult ut aliquid removeatur quod aderat, et aliquid præstetur quod antea non præstitum erat, id est quod deerat.

## §. IX.

*Peccatorum fuga, omne illud aufertur, quod in homine antea non adesse debebat.* Dum enim hic dicitur, num aliquid adesse vel minus adesse debeat, facillime quisque videt, nos loqui de eo quod per determinationes et actiones hominum, siue sint externæ siue internæ, adesse vel non adesse debeat. Iam cum lex divina tantummodo sese ad actiones et determinationes hominum extendat, et omne istud, quod non isti, ex amore erga Deum conformatum est, peccatum strictè sic dictum (§. III), adeoque et malum sit; Deus autem tanquam ens sapientissimum malum non velit (per princ. theol. nar.) etiam tot innumerabilia peccata non potest nisi vehementissime averfari. Quum igitur quicquid sit bonum vel malum sit (per princ. exclusi medii); et homo ante conversionem continuo peccaverit (§. IV); etiam eorum quæ in homine adfuerunt nihil averfari potuit, nisi mala et quidem talia, quorum rationem sufficientem propter actiones liberas, homo in se ipso continet, quæ ita sunt comparata, ut illa averfetur et auferri velit, hæc autem sunt peccata. Ergo peccatorum fuga omne illud aufertur quod antea non adesse debebat.

## §. X.

## §. X.

*Contritio* est tristitia, ob peccata commissa suscepta.

Est hæc vos impropria et in sacris literis usitatissima. Denotat autem dolores et pavores conscientia eorum, qui vident et cognoscunt, quot quantisque peccatis sese commacularunt, justumque propterea Dei iudicium pertimescunt. Sic Rex Davides, cum lachrymis deplorans stuprum, quod commiserat, et interitum Uriæ ejus causa fuerat, tandem inde solatium percipit ac inquit Ps. LI, 19. *cor contritum non rejicies o Deus.* Consolationis gratia, hæc verba fecisse Psalmistam, non est quod dubitemus. Petierat enim in præcedenti a sanguine, quem fuderat, liberationem. Multis oblationibus, hanc sibi non conciliare posse, fatetur v. 18. attamen v. 19 dicit: oblationes, quæ Deo placerent, esse spiritum anxium, cor contritum non rejiceret Deus. Verba autem ista, eum illis se miserum erigat, talia ut sint necesse est, qualia esse debent inserviendi huic fini. Quid autem nobis majorem offert certitudinem, de gratia Dei, deque peccatorum condonatione, quam tristitia ob peccata commissa orta, quam fides sequitur? Spectat itaque rex moelissimus tristitiam quandam, ob peccata commissa susceptam.

## §. XI.

*Abique contritione, peccandi consuetudo aufervi non potest.* Si enim aufertur, nunc aliter agimus quam ante; quod sine voluntatis determinatione fieri non potest. Omnis autem determinatio voluntatis præcedentem requirit cognitionem intellectus (per princ. psych.) et quidem malorum et bonorum, cum actionibus conjunctorum (per eadem princ.). Iam cum homo agat secundum mali et boni cognitionem, et quo majora sunt mala, et quo fortior intuitus, eo major etiam aversatio sit; ex aversatione autem, si mala jam adsint rædium, et si hoc sit vehemens tristitia inde exsurgat, non potest aliter fieri quam ut peccator, dum vitæ suæ mutationem ingreditur, tristitia afficiatur. Quoniam autem hæc tristitia ob peccata commissa sentitur, et hæc *contritio* nominetur (§. X),

X), videmus quod absque contritione peccandi consuetudo non auferatur.

## §. XII.

*Fides in Christum est id quod ante conversionem deerat, nunc vero per illam producitur.* Ante conversionem enim homo in peccatis vitam agebat (§. V). Ergo credere in Christum salvatorem non potuit (§. IV). Quoniam autem conversio est actio, mediante qua homo peccator accipit fidem (§. I), per conversionem ista producitur. Ergo est fides id quod ante conversionem deerat, nunc vero per illam producitur.

## §. XIII.

Quoniam conversio est mutatio (§. VIII), & hanc ob rem in illa nihil aliud spectari possit, nisi quod antea adfuit, nunc autem aboleretur, & quod antea deerat, nunc autem producitur; præterea peccatorum fuga, omne illud auferatur, quod antea non adesse debebat (§. IX); & hæc obrineatur per contritionem (§. XI); Fides autem in Christum illud sit quod antea deerat, nunc vero producitur: liberrime hinc fluit, *contritione atque fide univrsam conversionis opus esse absolutum.*

Id, quod in hoc §pho asseruimus est, quod ecclesie nostræ theologi docent: Partes conversionis esse duas, contritionem scilicet atque fidem, videatur beati *Musæi* disput. de fide I. §. 3. p. 2. atramen fuerunt & inter hos qui putarunt, tertiam partem esse addendam, novam nempe obedientiam. Ast hæc non est pars conversionis, sed potius consequens illius. Quid enim aliud quæso est nova obedientia, quam studium bonorum operum? Bona opera autem quia ex amore ergi Deum peraguntur non possunt non ex fide suam trahere originem. Ergo nec nova obedientia prius locum habet, nisi j. m. homo fidem acceperit; tum autem est conversus. Id quoque Johannes Baptista innuit, distinguens conversionem a fructibus ipsius, cum jubet Math. III, 8. dignos penitentia fructus facere.

B

## §. XIV.

## §. XIV.

*Poenitentia nihil est, nisi ipsa contritio, & quia hæc unam partem conversionis constituit (§. XIII) poenitentia ad conversionem hominis summe est necessaria.*

Contradistinguit Johannes, Marc. I, 15. poenitentiam evangelio, dicens: *μετανοεῖτε καὶ πιστεῦτε ἐν τῷ εὐαγγελίῳ*; adeoque fidem non simul complectitur. Est enim evangelium complexus promissionum de gratia Dei & nostra salute.

## §. XV.

Contritio est tristitia ob peccata commissa suscepta (§. XV), & poenitentia consistit in contritione (§. XIV). Quare poenitentia involvit vivam peccatorum *agnitionem*, *dolorem* & *odium* erga peccata vehementissimum.

## §. XVI.

Sæpius sacrae literæ fidei faciunt mentionem; nunc autem latius patere illius significatum, nunc arctioribus limitibus esse circumscriptum, manifeste deprehendimus. Sic facillime quisque largietur, apostolum cap. XI. ad Heb. disputare de fide in genere. Dicit enim fidem esse fiduciam certam illius quod speratur, ubi non dubitatur de eo, quod non videtur. Quare cum fiducia sit gaudium ob bonum præsens, ut causa multorum aliorum ortum, & fiducia certa nihil sit, nisi fiducia ex cognitione certa orta, quam semper anteponit; & quia hoc gaudium percipiat ob bonum præsens, tanquam causam multorum futurorum, propter fiduciam semper alia bona speramus, neque dubitamus de illis, quamquam non videmus: hoc loco nihil aliud apostolus dixit, nisi fidem esse fiduciam. Fidem habere itaque nihil aliud est, nisi fiduciam in aliquo positam habere. Jam multis aliis locis dicitur, ad salutem consequendam, fidem in Chri-

Christum esse summe necessariam Joh. III, 16, Rom. X, 10. Ergo & meritum illius pretiosissimum est causa nostræ salutis sola 1 Tim. II, 6. Ergo *fides* in Christum sive salvificans est *fiducia*, in merito Christi collocata.

Non concludat benevolus lector: Quum fiducia sit gaudium ob bonum præsens, ut causam aliorum ortum, & in aliquo fiduciam suam collocare, nihil aliud sit, nisi gaudium percipere ob bonum istud, quatenus est causa aliorum futurorum, in nullo alio fixam habere possumus fiduciam, nisi in bono præsentem; meritum Christi autem non existat amplius. Ergo nec fieri posse, ut in isto fiduciam ponamus. Omnino adhuc existit meritum Christi pretiosissimum. Licet enim non adhuc Christus, ut mediator, luat mortis cruciatus gravissimos, nec multo minus ob patris iram sentiat dolores in anima intensissimos, licet hac ratione meritum Christi non amplius præsens sit, id est non existat physice; præsens tamen est, ratione infiniti sui valoris & efficaciz, quam habet moraliter, cum hodie adhuc per illud, Deus ad clementiam & misericordiam commoveatur. Idem igitur est, cum valorem habeat infinitum, num existat adhuc physice sive minus. Possumus ergo ex illius imputatione, continuo capere lætitiã summam atque maximam. Conferatur beati *Mysai* tractat. de convers. disp. III. cap. 3. §. 177. p. 166. Nec abhorret fidei definitio suppeditata a loquendi theologorum usu, id quod ex sequentibus conspicietur quam lucidissime.

## §. XVII.

Tria ad fidei existentiam requiruntur momenta: 1) *notitia* 2) *assensus* & 3) *fiducia*.

ad num. 1) Est fides fiducia, in merito Christi locata (§. XVI). Quum igitur fiducia sit gaudium ob bonum præsens, ut multorum aliorum causam, ortum (§. XVI), non aliter fidem habere possumus, nisi etiam de bono quodam habeamus repræsentationem. Ex cognitione enim boni demum oritur voluptas & gaudium (p. princ. psych.). Ergo *notitia ad fidem etiam est necessaria*.

*ad num. 2) Fides efflagitat assensum.* Iste enim est iudicium de veritate alicujus rei; & fides requirit Christi meriti que ipsius notitiam. Ergo si aliquid ferre debemus in fide iudicium, illud de Christo illiusque merito fieri debet. Quod autem ejusmodi iudicium ferendum sit exinde efficitur, quia talis est conditio animæ nostræ, ut vel verum, vel falsum aliquid pronuntiet, vel in ambiguitate maneat. Falsum non potest meritum Christi dici; quia alias exinde bona sperare non possemus, adeoque nec gaudium percipere; quod tamen inde capitur (§. XVI). Nec in ambiguitate persistere possumus. Fiducia enim oritur ex cognitione certa (§. XVI), & hæc contradistinguitur dubiæ. Ergo necesse est ut judicemus: meritum Christi esse verissimum. Ergo fides efflagitat assensum.

*ad num. 3) Fiducia denique ad fidem pertinet.* Quicquid enim universam fidei naturam sublatam reddit, illud ad constituendam illam, necessario requiritur. Quum igitur fides sit fiducia, in merito Christi collocata, omnino fiduciæ carentia tolleretur fidei natura. Ergo ad fidem fiducia requiritur.

### §. XVIII.

Homo in conversione accipit fidem (§. I). Ergo incipit fiduciam collocare in merito Christi (§. XVI). Ergo percipit gaudium, & quidem ob æterna & inæstimabilia in Christo bona (§. XVI). Et quia ad fidem notitia, assensus & fiducia efflagitantur (§. XVII), etiam homo, quando ad Deum convertitur, scire omnino debet, quis sit Christus, quid illius meritum; debet deinde assensum suum huic veritati, quod per Christi meritum solummodo salutem obtineamus, haudquaquam denegare; & denique illi in hoc solo est acquiescendum, gaudendo & sperando per illum æternam salutem.

### §. XIX.

## §. XIX.

Vim aëtricem mundi, per essentiam modificatam, *naturam* mundi appellare solemus. Quicquid igitur fit in mundo, vel in hac vi rationem suam sufficientem habet, vel minus habet. Si prius, *naturale* mundi; si autem posterius, *supernaturale* inde originem trahit. Actio *supernaturalis miraculi* afficitur nomine.

Sunt definitiones, quas adduximus, perillustris nostri *Wolffii* in cosmologia sua tam latina, quam germanica Met. germ. suppeditatae & quas ob miram præstantiam huc transcribere non dubitavimus.

## §. XX.

*Producitur in conversione novus habitus supernaturalis actionum legitimarum.* Actiones enim legitimæ sunt, quæ cum voluntate numinis, sive lege morali conveniunt. Tales autem non suscepit homo irrogenitus ante conversionem suam (§. V). Ergo & harum habitus desuit. Studet autem jam homo actionibus legitimis omni cura atque intentione. Est enim qui accipit fidem (§. I). Fides autem cum inferat fiduciam (§. XVII), non solum bona videt, verum etiam illis cumularatur & multa alia expectat (§. XVI). Jam autem impossibile est, ut illum non amore prosequamur, quem perficere nos, manifesteprehendimus (per princ. plyph.). Si autem quem tam mirifice diligimus, tum sedulo cavemus, quantum fieri potest, ne quidquam contra illius voluntatem agamus (per exp.). Ergo studet jam homo actionibus legitimis & habitus, qui inde oritur, est novus. Proinde habitus iste est *supernaturalis*. Per fidem & propter fidem enim adest (per Demonst.). Fides autem in vi aëtrice animæ rationem non habet sufficientem 1 Cor. II, 14. Quicquid autem in vi aëtrice mundi, rationem non habet sufficientem, *supernaturale* est. Ergo in conversione producitur

habitus novus supernaturalis, & quidem actionum legitimarum.

Videmus ex demonstratione hac, quod apostolus significare voluerit adhortatione sua: induite novum hominem ad imaginem Dei conditum Ephes IV, 24. Quid novus homo aliter esse potest, quam complexus actionum legitimarum? Istam vivendi rationem, quam summe erat depravata, appellat veterem hominem, quem ut deponant, adhortatur. Jam pergit & novum hominem induere jubet. Ergo iste significat talem agendi habitum, quo homo sese in omni virtutum genere exercitiorum & perfectiorum reddit. Proinde ejusdem apostoli verba admodum emphatica, de vi omnino supernaturali Dei in movendis & convertendis hominum animis, extant Ephes. I, 19 20. dicit eadem efficacia Deum operari fidem, qua operatus esset Christi ex mortuis resurrectionem. Nonne ergo vires hominum omnino omnes longe excedit.

§. XXI.

Deus solus hominem convertit (§. XX), conversio autem infert mutationem in agendo (§. IV. V), quod sine voluntatis determinatione fieri non potest (§. XI), debet proinde homo peccata cognoscere et dolere (§. XV), debet notitiam Christi illiusque meriti habere, huic cognitioni assensum præbere & in Christo fiduciam collocare (§. XVII). Quæ omnia si unico actu non peraguntur, quod hic tamdiu assumimus, donec demonstrationem ipsam paulo post aggrediemur, variae operationes divinæ omnino concurrere debent & quas theologo in *præcurrentis*, *præparantis* & *convertentis* gratiæ operationes distinguunt, quarum prima sanctam de vita mutanda ratione cogitationem, secunda desiderium & determinationem ad istam, tertia autem dolorem ob peccata commissa & fidem in Christum salvatorem excitat & gratiosè operatur.

§. XXII.

*Per fidem nobis meritum Christi imputatur.* Meritum Christi enim



enim est factum alienum & facta aliena nobis imputari nequeunt nisi accedente consensu nostro, tam in factum quam in illius imputationem dato (per princ. Juris Nat.). Quare cum ex parte nostra nihil amplius in sacris literis requiratur ad fidem consequendam quam fides Marc. XVI, 16. etiam meritum Christi nobis per fidem imputatur.

## §. XXIII.

Meritum Christi nobis per fidem imputatur (§. XXIII). Hoc autem facto justi pronuntiamur. Pronuntiatio autem pro justo est *justificatio*. Ergo justificatio sequitur conversionem (§. I).

## §. XXIV.

Complementum alicujus rei est id, ex quo concipi potest, omnia adesse, quæ ad rem quandam constituendam requiruntur & quod cum illa est connexum: quare studium bonorum operum constituit complementum conversionis. Bona opera enim sunt actiones legi divinæ conformes ex amore erga Deum suscepta (§. III), hæc autem ante ponunt fidem (§. IV, coll. 20); fidei autem existentia excludit habitum peccatorum voluntariorum (§. IV), qui per contritionem tollitur (§. XII); jam cum contritio & fides conversionem hominis sistant consumaram (§. XIII); & nexusea ad se invicem relatio sit, quarum unum in se continet rationem sufficientem alterius, bona opera autem rationem suam in fide habeant (§. XX): etiam studium bonorum operum cum fide est connexum & propterea complementum conversionis dici potest,

Johannes apostolus propterea affirmat; omne quod ex Deo esse natum vincere mundum i Joh. V, 4. Sensus verborum hic est, omnes qui habent fidem, facili negotio bona opera agunt; verba enim hæc eo fine sunt allata, ut contineant probationem illius, quod in præcedenti versu dixerat, scilicet præceptorum Dei non esse difficilem

cilem seruationem. Jam cum mundus, secundum sacras literas, nihil aliud significare soleat nisi complexum actionum malarum; & harum exercitium facillime regenitos ad idem impellere possit, adeoque studium bonorum operum difficile reddat, ille cum habitu bona opera perpetrare potest, qui se abripi istis haudquaquam patitur. Mundum ergo vincere nihil aliud est, nisi bonis operibus studere, quamquam illud studium, per malas actiones irrogenitorum, difficile reddatur. Quicumque autem in agendo, propter impedimenta varia & maxima non impeditur, ille ut cum habitu agat necessum est. Jam cum regenitus sit, qui habet fidem, videmus sensum verborum hunc esse: omnes qui habent fidem facili negotio bona opera agunt. Vbi autem est fides, ibi conversio jam est perfecta. Ergo ex habitu bonorum operum secundum sensum apostoli concludere licet, conversionis complementum jam adesse.

## §. XXV.

Fiducia involvit gaudium (§. XVII), & homo convertendus tristitia debet affici (§. XIII), & quidem ob peccata commissa (§. X): sunt ergo criteria conversionis, auersatio peccatorum, anxius ob ista commissa animus, amor Dei Christique redemptoris & denique flagrans cupido, nunc omni diligentia virtutibus christianis studendi.

## §. XXVI.

Quicquid existit vel successiones admittit vel non. Si prius, illud in *tempore* existere dicitur. Si autem posterius, illius existentia vel continuatur vel non. Si prius, vocatur duratio, si autem posterius, illud ad *momentum* sive in *instanti* existere dicitur.

## §. XXVII.

Cum igitur demonstraturi simus, conversionem non esse instantaneam, propositio probanda hæc erit: actio mediante qua homo adultus accipit fidem ita durat, ut varias successiones habere debeat. In conversione igitur si spectari debet,

debet, quod erat, quod nunc est & quod futurum est, etiam evictum erit, illam minime esse instantaneam.

## §. XXIX.

Tunc *salum* naturam committere dicitur, quando in præcedentibus, illius, quod sequitur, nulla deprehenditur ratio sufficiens.

Sic natura committeret *salum*, si media hyeme, quando horti campique omnes alta nive obruti jacent & terra arboresque vehementi frigore constrictæ sunt, ut neque herba progerminare neque plantæ efflorescere possint, si hoc tempore, unius horulæ spatio, tanta fieret mutatio, ut gramen terra undique emisisset, flores omnium cum delectatione ubique videri possent, arborumque rami frondi omnes essent vestiti, ut tempus existeret media æstate non amoenius, si hoc fieret, omnino per *salum* fieret. Constat enim nobis, horum omnium calorem esse rationem sufficientem; hoc tempore iste autem, propter solem remotissimum, deficere omnino debet.

## §. XXX.

*Næque natura, neque Deus committit salum.* Natura enim mundi consistit in vi ætrice ejusdem (§. XIX); & cum nexus fit ea ad se invicem relatio, quarum unum in se continet rationem sufficientem alterius (§. XXV); in mundo autem detur nexus (per def. mundi): omne quicquid in mundo fit, habet rationem sufficientem in præcedentibus. Si autem hoc, non committitur *salus* (§. XXIX). Ergo natura non committit *salum*, quod erat primum.

Neque Deus agit per *salum*. Iste enim est hujus universi auctor (per Theol. nat.) atque adeo ordinem, quem in isto deprehendimus, sapientissime voluit. Jam essentia mundi efflagitat ut omnia in isto fiant successive, & quidem ita, ut præcedens in se contineat rationem sufficientem consequentis (per demonst.); ergo etiam hoc voluit Deus, pro-  
C pter

pter infinitam suam sapientiam. Jam si veller per saltum agere, veller hoc contra ipsius sapientiam infinitam; quod est absurdum. Ergo nec Deus agit per saltum.

§. XXXI.

*Conversio instantanea non aliter fieri potest nisi per saltum.*  
 Fingamus enim istam fieri in instanti. Ergo actus, quibus ista absolvitur, non successive existunt sed unico actu (§. XXVII), & si hoc vel omnes vel non. Si non, vel contritio sola exclusa fide, vel fides solummodo exclusa contritione existit. Sed contritione atque fide totum absolvitur conversionis negotium (§. XIII). Ergo contritio & fides simul existere debent. Ergo vel omne illud, quod ad hos actus animæ producendos inservit vel non. Hoc autem simul cum fide & contritione existere non potest. Habet enim contritio & fides vel rationem sufficientem vel non. Si posterius oriuntur per saltum (§. XXIX). Si autem habent rationem sufficientem hæc nulla alia est nisi cogitatio boni & mali in intellectu (§. X). Hæc autem vel præcedit vel cum contritione & fide simul existit. Prius est contra hypothesin; Ergo posterius esse debet & si hoc vel cogitatio ista est clara vel obscura. Prius non est propterea, quia ex multis objectis simul cognoscendis obscuritas oritur (per exper.). Plura autem objecta necessario sunt consideranda, quando tristitia & fides inde originem trahit. Ergo cognitio, ex qua tristitia & fides est oriunda, ut obscura sit necesse est. Si autem hoc neque tristitia neque fides exinde oriri potest. Est enim cognitio obscura, quæ rei diversitatem ab aliis non percipit. Jam autem cum tristitia ex cognitione mali & fides ex notitia bonorum in Christo oriatur & hæc cognitio in conversione instantanea sit obscura, nec bona a malis nec mala a bonis distinguere possumus. Ergo neque tristitia neque fides inde oritur. Si hoc dubio carer, conversio instantanea aut plane nulla est, aut in præcedentibus non habet rationem  
 suf.

sufficientem. Prius est contra hypothefin, posterius autem si adest conversio hæc fit per saltum, Ergo conversio instantanea fit per saltum.

Simul ex hac demonstratione fit manifestum, conversionem instantaneam penitus auferre partes conversionis essentielles & propterea conversionis naturam & essentiam tollere. Quid autem hoc absurdius fingi vel excogitari potest?

§. XXXII.

Quum conversio instantanea non aliter fieri possit nisi per saltum (§. XXXI): Deus autem & natura non agat per saltum, *conversio in instanti peragenda locum non habet.*

§. XXXIII.

Ubi non fit saltus, ibi in præcedentibus deprehenditur ratio sufficiens consequentis (§. XXIX). Quum autem quicquid sit habeat rationem sufficientem, ut etiam illam habeat in præcedentibus, si saltus non committitur, necesse est, Contritio & fides sunt partes constituentes conversionem, quæ diversam agnoscunt rationem sufficientem (per princ. psych.) & quæ simul præsentem esse non possunt (§. XXXI). Ergo cum posita ratione demum ponatur rationatum, omnino varii actus in conversione dantur, qui se invicem excipiunt. Ergo inde patet, quod successiones multæ ad conversionem sint necessariæ tempusque adeo haud exiguum.

§. XXXIV.

Diuerfarum rerum, quæ ad me non pertinent, representationes in me existunt & si harum objecta a me & aliis distinguere valeo *conscius* mihi sum. vid. Metaph. Perillust. *Wolffii* §. 730.

## §. XXXV.

Magis itaque unum distinguere possum quam alterum. Ergo & unius mihi magis conscius esse possum altero. Et quia obscuræ ideæ nullam percipiunt diversitatem (§. XXXI), nec mihi conscius sum, si animæ meæ insunt non nisi obscuræ ideæ; adeoque nullam sentio diversitatem existentiae meæ ab aliis rebus.

Videmus illud, quod est dictum in §pho hoc, in somno, in quo nosmet ipsi non novimus. Repræsentationibus quidem in isto statu non omnibus deficiunt; ast repræsentationes istæ nullo distinctitatis gradu præditæ sunt; adeoque ignoramus, ex alto somno expergefacti, quales istæ repræsentationes fuerint, quas per hoc tempus habuit anima nostra. Optime etiam Cartesiani ex cogitatione illorum suimet ipsarum existentiam præ aliis rebus inferre poterunt. Dum enim sibi ipsis conscii erant, non solum Egoitatem, quam ipsi habebant ab aliis discernere poterant, verum etiam Ens aliquod adesse debebat quod cogitaret hanc diversitatem.

## §. XXXVI.

Objectorum multitudo, quæ intellectui simul cogitanda obversantur, auferunt conscientiam. Simultanea enim plurimorum objectorum cognitio ideas reddit admodum obscuras (§. XXXI). Ergo auferitur conscientia (§. XXXV).

Id quod plurimorum objectorum simultanea cognitio ideas efficiat obscuras, vir Illust. *Bilfingerus* in Epist. Amœb. de harmon. præst. §. 6. ingeniosa illustrat similitudine: statue te in medio, inquit, centum oratorum, in ambitu circuli, æqualibus intervallis distributorum & voce alta, sed æquali sermones habentium. Percipies omnium voces, nulla enim est ratio, cur alterum magis quam alterum percipias & nihil tamen intelligas. Fac ut unus eorum utatur tubostentorio & reliqui pergant ut antea, vel impone reliquis silentium, aut jube ut submissa admodum loquantur, contemimus vero pergat ut prius alta voce, percipies clare quæ dicit.

## §. XXXVII.

## §. XXXVII.

*Sine conscientia tristitia & gaudium produci nequit.* Tristitia enim oritur ex mali, & gaudium ex boni cognitione (per princ. psych.). Ergo sunt motus voluntatis contrarii oppositi. Si itaque absque conscientia producerentur, illud fieret sine omni cognitione diversitatis boni a malo & mali a bono (§. XXXIV). Nulla igitur foret ratio sufficiens, cur gaudium potius adesset & non tristitia & hæc potius quam illud. Est enim ratio sufficiens id, ex quo cognosci potest, cur aliquid sit, cur ita sit nec potius aliter. Ergo nec sine conscientia tristitia & gaudium produci potest.

## §. XXXVIII.

Tristitia & gaudium requirunt conscientiam (§. XXXVII). Ergo nec sine conscientia conversio est possibilis (§. I. XI. XIII. XVI). Et quia, si plura simul considerata animæ observantur, ideæ oriuntur obscuræ (§. XXXVI) quæ auferunt conscientiam (§. XXXV): Nec propterea in momento peragitur conversio, quia non observabilis esset, quum tamen omnis conversio sit observatu necessaria.

## §. XXXIX.

Sine conscientia conversio non est possibilis (§. XXXVIII) varia autem sunt distinguenda (§. XIII). Ergo anima hominis convertendi nunc hanc, nunc illam habet representationem & has sequuntur rursus aliæ. Quæ cum ab externis objectis fortius in nos agentibus, abrumpi possint, multum sane tempus huic negotio est impendendum.

## §. XL.

Ex continua actionum earundem repetitione nascitur habitus (per exp). Quum itaque homo nondum conversus committat peccata semper (§. V) & peccando agat, (§. III)

eandem actionem repetit & quidem sæpissime. Ergo conciliavit sibi habitum regulis legis divinæ contraria agendi.

§. XLI.

Iste qui habet habitum in agendo facilius actionem A producit quam oppositum B. Majori ergo conatu ad A exsequendum inducitur quam B. Sicuti ergo ad A efficiendum nihil amplius desideratur i. e. existat ratio sufficiens; ita ad B producendum, ut ratio fiat sufficiens omnino aliquid accedere debet. Quam valde itaque homo irrogenitus ad peccandum sit exercitatus, quanto impetu in peccata quævis feratur, ex dictis his cognitu haud erit difficile.

Tendentia ista in prohibita malum est illud, quod etiam regenitis virtutis studium reddit difficillimum: & propterea Paulus magnus Apostolus moerore & luctu afficitur acerbissimo. Queritur Rom. VII, 21. quod quidem voluptatem capiat ex lege divina; ast videret legem aliam in membris suis pugnantem contra legem in animo. Id, de quo disputat Apostolus est bonitas legis a Deo lata, & hanc propterea concedi debere, quia aliquid faceret quod tamen nollet, & hoc ulterius confirmat. Esse enim in membris suis legem secundum quam aliquid faceret, quod tamen nollet. Ex eo igitur quod aliquid vehementer aversetur & tamen velit, nihil aliud concludere possumus, nisi inclinationem ad opposita esse valde magnam. Quamquam autem nobis constet istam inclinationem & tendentiam ad ea quæ cum lege divina pugnant, nil esse nisi concupiscentiam pravam, sive malum originale, adeoque omnibus hominibus etiam regenitis adherere; sententiæ tamen nostræ in se comprehendunt argumentum, scilicet quod homo irrogenitus magno cum impetu feratur committendi peccata. Sic etenim, qui viribus spiritualibus sunt induti, ab inclinatione ista ad mala non vivunt liberi, nullo minus de irrogenitis hoc affirmari poterit. Quid? quod tendentiam istarum multo esse majorem optime exinde cognoscitur.

§. XLII.

Docent dicta in immediate præcedentibus, quod mutatio hominis in conversione (§. VIII) sit admodum magna. Con-



Concipiamus enim quanto studio peccatis fuerit deditus homo, quanta cum delectatione effecerit ista, fingamus illum nunc mutare agendi rationem pristinam. Nonne igitur nunc malum videre debet quod antea ut bonum cogitaverat. Nonne omnes actiones, quot autem sunt istarum? ex alio motivo suscipere debet? Quot sunt intermittendæ? quot ex novo efficiendæ? status præterea, quo nunc vivere homini converso incumbit, perpetuus esse debet atque æternus. Quanta igitur est mutatio, quæ oritur ex hominis conversione?

## §. XLIII.

*Deliberare* est sibi rationes moventes repræsentare.

## §. XLIV.

*Homo in conversionis negotio deliberat.* Mutatio enim ob conversionem orta omnino est magna (§. XLII). Quare cum homo adultus convertatur (§. I) & hæc sit conditio hominis, si magna negotia sunt exequenda, ut bonum & malum ex utraque parte sibi proponat riteque pensitet, ne præcipitatio deinde evadat periculosissima (per exp.): homo convertendus sibi repræsentare debet rationes moventes de conversione ineunda vel intermittenda; hoc autem est deliberare. Ergo homo in conversionis negotio deliberat.

## §. XLV.

Gratia præveniens sanctam, de vita ratione improba mutanda, cogitationem suggerit animæ (§. XXII). Ergo gratia præveniens ad conversionem requiritur (§. XLIV). Etenim actus qui fidei producendæ inservit, pertinet ad conversionis opus (§. I).

## §. XLVI.

## §. XLVI.

*Quando homo deliberat, hoc ipso sese nondum determinat.* Quando enim sese determinat, vult ut hoc vel illud fiat. Quidquid autem existit de hoc rationem prius existere diximus (§ XXXIII). Jam cum in deliberationis articulo homo perpendat rationes moventes, quæ illum ad determinationem hanc vel istam impellere possunt, videmus quando homo deliberat, sese hoc ipso nondum determinare.

## §. XLVII.

Determinationem & sanctum desiderium, ad fidei productionem necessarium, excitat secunda Spiritus Sancti operatio, quæ dicitur præparans (§ XXII). Ergo gratia præveniens & præparans successivis temporibus præcedunt operationi convertenti.

## §. XLVIII.

Quoniam Spiritus sanctus, si gratia sua præveniente agat, nondum determinationem ipsam & desiderium operetur (§ XLVII) sed diversis temporibus vim suam adhibeat, præveniendo hominem & præparando illum & tum fidem faciat in homine existentem, peccatorem cognitione, tristitia propter ista commissa cum averfatione erga illa conjuncta maxima (§ XIV. XV), bonorum, quæ propter Christum expectamus, notitia, assensu & in illum fiducia (§ XVII), quæ autem omnia tempus efflagitant & quidem tale, quod nonnullis momentis non est præterlapsum (§. XXXIII. XXXIX) meridiana luce clarius elucet inde, magnum illud conversionis negotium admittere omnino multas ac varias successiones & propterea in tempore admodum notabili esse demum finitum,

## §. XLIX.

## §. XLIX.

Quod in tempore homo convertatur hucusque demonstravimus; sed quale illud & quantum sit non determinare valemus; quamquam ex superioribus lucidissime appareat, conversionem nihil esse, si tempus illius nimis arctis limitibus circumscribatur, sunt tamen qui sibi fingunt, tempus, in quo omnes ad convertendum hominem operationes finem consequantur, esse admodum exiguum, & aliquot momentis absolutum. Opera igitur nostra non frustra erit adhibita, quam tribuimus nunc paucis examini istorum argumentorum, quæ forsitan opponuntur, vel nostræ sententiæ opponi possent. Sic ex miraculi notione non inferri potest, quod conversio fiat citissime. Miraculum enim esse diximus (§. XIX) actionem supernaturalem, & supernaturale id quod in vi ætrice hujus mundi non habet rationem sufficientem: quomodo itaque ex hoc deduci poterit, quod illud, quod per actionem supernaturalem sit existens, fiat existens quamcunq; Nonne productio hujus universi est actio supernaturalis, & tamen sex dierum spatium huic operi Deus sapientissime impendere voluit? Præterea Deus, quando aliquid per actus miraculosos producit, miracula minuit quantum potest fieri (per Theol. nat.). Sic unum per miraculum adesse potest ex quo alia omnia naturali nexu sequuntur; illudque fieri in conversione hominis manifesteprehendimus, per Symbola enim gratiæ excitat in homine obtenebrato cognitionem salutarem, ex qua deinde tristitia & fides ortum trahunt suum (§. XI. XVII). Nullo modo ergo sequitur, quod propterea actus conversionem ingredientes in instanti peragantur, quia est actio miraculosa.

## § L.

Deus ipse hominem convertit (§. XX), adeoque habitus qui in illo producitur est Θεωιδωτος, secundum vim hujus vocis; aut si opponeretur habitum Θεοειδωτον esse etiam infusum,

D

hujus

hujus autem impressionem fieri posse in instanti minus recte hoc fieret. Quod si enim in propria significatione vocem spectamus, infusum est nihil aliud, nisi transmissio fluidi ex uno receptaculo in aliud. Ergo habitus infusus dicitur, quia in hominem immittitur, & statim ab illo, sine ullo impedimento recipi debet. Si autem hoc, aufertur hominis facultas non recipiendi illum habitum. Ergo etiam spontaneitas; quia est facultas ad oppositum sese determinandi principio intrinseco: quam tamen homo habet (per psych.). Ergo conversio non est habitus infusus. Ergo nec propterea homo convertitur in instanti.

## §. LI.

Hominem conversum appellat Paulus novam creaturam 2 Cor. V, 17. Ergo formari posset conclusio: creatio fit in instanti, homo autem in conversione creatus est ex novo, ergo hoc factum est in instanti. Creatio est productio illius quod antea non aderat. Ergo vel ex aliquo vel non. Si prius, hæc fit per miraculum (§. XIX); si posterius autem, productio hæc est naturalis. Quid ex his duobus ad creationem novam in conversione velis accommodare, idem erit nobis. Si enim dicis, in conversione aliquid oriri ex nihilo, remittimus te ad (§. LIX); si autem postremum contendis, non habebis rationem cur affirmes hanc creationem fieri in instanti.

## §. LII.

Quia ab esse ad posse valet consequentia (per log.) exempla possibilitatem reddunt indubitatam. Quamobrem cum multa exempla de conversionis duratione brevissima perhibentur, illam possibilem esse videntur asseverare. Nos autem negamus & pernegamus propositionem in syllogismo minorem. At dicis esse exempla in promptu, & quotidianam experientiam illa monstrare quam plurima; quum multi sint, qui ex unius tantummodo dicti vel lectione vel recitatione

ex

ex brevissima sed gravissima adhortatione e suggestu, convertantur. Respondemus autem, cui tam certe constat, quid in anima hominis tam celeriter conversi, antea actum sit, quid jam agatur & quales mutationes admittat in futurum ut dici possit, jam & in hoc vel isto temporis articulo fidem fuisse excitatam? Nonne potuit homo talis antea spiritu sancto esse preparatus contemplatione de miserrimo in peccatis statu (§ XLV), determinatione istum mutandi (§ XLVI), ut jam totum negotium ad finem perducatur. Nonne hoc tempore quando legit vel audit dictum aliquod ex literis sacris, nonne nunc potest conversionem incipere & post aliquod demum intervallum illi finem imponere? Rationem igitur non habemus sufficientem, cur affirmare possimus, quod hujus vel illius conversio præter consuetudinem tam vehementer sit accelerata.

Pauli apostoli conversio Act. IX. Custodis carceris Act. XVI, 33. 34. & Francisci Junii, seculi decimi sexti theologi, conversio videtur fuisse subitanea. Opponi autem his exemplis etiam potest, quod in Spho jam opposuimus.

### §. LIII.

Non equidem negamus, actionem qua Deus hominem peccatorem, ob fidem, justum pronunciat, & quæ justificatio dicitur (§ XXIV), esse subitaneam. Si autem inde inferitur, conversionem etiam esse opus, quod eodem modo tam celeriter sit peractum ac justificationem, omnino confundentur conversionis & justificationis notiones (§. XXIV. & I). Ergo nec hanc ob causam conversio est actio, sicuti justificatio, instantanea.

### §. LIV.

Deus omnibus possibilibus existentiam largiri potest, quæ facultas dicitur *omnipotentia*. Ergo Deus possidet omnipotentiam. Quicquid autem illam circumscribit absurdum est. Sed conversionis instantaneæ negatione minime limitatur

tatur ista. Prius enim evinci debet, talem conversionem quam supponimus in numerum possibilium referri debere. Deinde ostendendum erit, quod aliis perfectionibus divinis non sit contraria. Eadem sane blasphemia committitur, si negatur hoc possibile vel illud Deum posse existens efficere & si efflagitur ut hoc vel illud fiat, cum tamen reliquis perfectionibus divinis contradicat fere omnibus. Nonne omne illud, quod in mundo fit, per miracula producere posset Deus? aut sapientiæ illius infinitæ e diametro esset contrarium hoc. Quomodo ergo conversionis instantaneæ negatio omnipotentæ diuinæ limites ponere possit, non video.

## §. LV.

Posset denique nostra de conversionis tempore doctrina multis videri periculosissima; quia illud hac nimis protraheretur. Non autem protrahitur cum damno tempus illud. Quicumque enim conversionem suam ad Deum serio cupit, etiam media ad illam adhibebit legitima. Nihilominus si opionis, illis tamen esset melius consultum, qui longo tempore, ad convertendum sese, privato, unico suspirio, in ultimo mortis articulo, conversionem suam promovere possint, quærimus an non adhuc melius sit, si Deus ejusmodi homines sine omnibus mediis, quæ tamen sapientissime vult, redderet salvos atque beatos.

## §. LVI.

Confectaria permulta ex superioribus possent apponi; satis autem erit, si eruantur præcipua. Primam igitur hanc formamus conclusionem, *quod nemo convertatur inscius & involuntarius*. Instantanea conversio omnem aufert deliberationem (§. XXXI, XXXVI). Ergo converteretur homo irresistibiliter & inscius, si in instanti hoc fieret. Non autem fit in instanti, sed in tempore (§. XXXII, XXXIII, XXXVIII, XXXIX), si autem hæc, illi relinquatur facultas oppositum cogitandi illudque amplectendi.

## §. LVII.

## §. LVII.

*Deinde quod præcipitatio conversionis sit periculosa.* Docuimus enim in paulo, præcedentibus, qualia & quanta ista sint, quæ in conversione nunc removeri nunc produci debent; quod hominum cognitio sit imbecillis valde, quæ tamen in omnibus accurata & seria supponitur; quod reluctetur caro spiritus sancti operationibus, ut istas non simul suscipere queat, sed ita ut se invicem ordine excipiant & multum tempus efflagrent. Quæ cum ita sint, conversionis præcipitatio omnino est cavenda.

## §. LVIII.

*Nulla datur vera conversio sine contritione.* Nam sine peccatorum saltem voluntariorum abolitione conversio nihil est (§. VIII) hæc autem ut sine contritione obrineatur impossibile est (§. XI). Ergo sine hac conversio non est completa & aliquid adhuc desideratur. Ubi autem non est convenientia eorum quæ simul ponuntur, ibi nec veritas (per princ. ont.). Ergo nec sine contritione conversio est vera.

## §. LIX.

*Conversio admittit gradus.* Potest enim tristitia & lætitia hominis major & minor esse (per exp.). Jam cum contritio sit tristitia ob peccata commissa suscepta (§. XV); & fides involvat lætitiã (§. XVI); quantitas autem qualitarum gradus dicatur, conversio omnino gradus admittere potest.

## §. LX.

*Lex ad conversionem est necessaria.* Continet enim lex divina moralis regulas cui actiones nostræ sunt conformandæ (§. III) & ex dissensu harum cum istis oriuntur peccata (§. III), quorum intuitus efficit tristitiã. Jam cum tristitia in conversionis negotio sit necessaria (§. XIII) &posito rationato ponenda etiam sit ratio (per princ. ont.) regularem autem in lege contentarum intuitus hanc in se contineat rationem

tionem (§. XIII) patet inde, legem ad conversionem esse summe necessariam.

§. LXI.

*Evangelii usus aque.* Evangelium enim est complexus promissionum gratuitarum de gratia Dei deque nostra per Christum redemptorem salute. Ergo harum intuitus gignit lætiam & fiduciam plenam. Quæ fiducia cum ad fidem sit necessaria (§. XVI), & fides ad conversionem (§. I), etiam ad istam evangelii usus requiritur legitimus.

§. LXII.

*Ex tempore durationis gradus conversionis non sunt mensurandi.* Si enim essent mensurandi ex tempore, cum numero successuum crescere deberet hominis tristitia & lætitia in conversione (§. LIX). Fieri autem potest ut millena successiva prætereant, cum tamen hominis cognitio non sit facta major (per exp.). Quamdiu autem hæc manet eadem, etiam illud manet idem, quod ex ista sequitur; hoc autem est tam voluptas quam averfario (per princ. psych.). Ergo tempus durationis haudquaquam continet mensuram graduum in conversione.

§. LXIII.

Fides in conversione producitur (§. I) ista autem notitiam, assensum & fiduciam ante ponit (§. XVII). Ergo quicquid assensum hunc & fiduciam reddit facilem & difficilem, illud etiam efficit conversionem facilem & difficilem varia dubia & præjudicia autem impediunt quo minus intellectus veritati debitum assensum præbeat & voluntas ad fiduciam determinetur (per exp.). Homini convertendo ergo & hoc accidere potest. *Ergo etiam esse potest conversio facilis & difficilis.*

§. LXIV.



## §. LXIV.

Tristitia & fiducia pertinent ad statum animæ internum. Ergo cum circumspicientia de hujus vel illius conversione loquendum est. Effectus autem cum testantur de causa (per princ. ont.); & conversionis effectus fructus illius dicantur, optime ista ex fructibus erit dijudicanda. Sed tamen adhuc provide & caute. Possunt enim actiones externæ a cogitationibus internis esse alienissimæ, hoc est, non impossibile est ut hypocrisis sit, quem vere regentium putamus.

## §. LXV.

*Datur denique conversionis certitudo.* Qui enim in tempore convertitur varias istas mutationes quæ in anima obveniunt observare potest (§. LVI), potest unum ab altero distinguere (§. XXXVII). Ergo etiam ad veram illius existentiam hinc sequitur conclusio

Tantum.

\* \* \* \* \*

## AESTVMATISSIMO RESPONDENTI

sal. plur. dic.

## P R A E S E S.

**P**aucis expediam, quæ ad Te disputaturum nunc scribenda esse videntur & de Te met ipso & de disputatione TVA & de argumento, quod disputas. Formatus in disciplina cel. KOECHERI quinque annos, FENAE doctrinas sanctiores tractasti annumque tertium operam dedisti celeberr. WALCHO, RIVSCHIO, HAMBERGLERO, neque minus clariss. SCHVBERIO, DARIË & HVTHIO; hac æstate tandem in academiam nostram concessisti, ex qua citius, quam destinaveras, evocatus sine publico progressuum factorum specimine industriaeque documento discedere noluisse. Quod consilium quum ad me deferres mihi que ea opportunitate innotesceret: laudabili proposito non defui partesque moderatoris de me recepi. Quas admodum adhuc fuisse exiguas neque majores futuras in conspectu solemnium, si vera auguror, ut apud lectores constet, tua meaque referre existimo. Nam præter breviorem rationum nonnullarum objectionumque conuellendam

sum

rum mentionem a me factam ante elaborationem, solus plane conscripsisti  
 dissertationem, qualis nunc prodit, integram. In qua curate perlustranda  
 licet quaedam offenderim, quae aliter tractassem si notiones ipse formatu-  
 rus rationesque subdukturus fuisset, nihil tamen omnino immutandum  
 esse putavi, tum quod longissime absum a morosi difficultate eorum, quibus  
 sua tantum placent, alia omnia displicent; tum quod facile perspiciebam  
 rectissime explicari, circumscribi, confirmari, vindicari etiam & excusari  
 posse quidquid retractandum duxissem si haec ignorassem; tum denique po-  
 tissimum, ut a laude & existimatione nihil quidquam detraheretur, quam  
 his laboris TVI primitis apud aequos harum rerum arbitros mereris, quibus &  
 curam, diligentiam intentionemque qua dissertationem confecisti, & doctrinam  
 ingeniumque scientiis graviter cultum rectius sic certiusque approbabis. Argu-  
 mentum, quod ex indice doctrinarum ad disputandum a me propositarum  
 ipse tibi delegisti, ubi locum LXXVII occupat, & utilitate multiplici perpe-  
 tuaque commendabile est & temporum nostrorum calamitate per quam ne-  
 cessarium enasit. Nam ut discrimina non commemorem, in quae gravissima  
 de conversione doctrina adducitur ab illis, qui vel sacra & divina om-  
 nia ipsumque virtutis christiane & redeundi ad DEVM per CHRISTVM  
 studium fastidiose rident, vel mentis conversionem diuinitus perficiendam  
 cum emendatione philosophica vobis tamen formulisque christianis vestigia  
 commutant, vel incuriae & securitati opinionem de facillimo ad DEVM  
 transitu per saltum sub ipsa anima agenda praetexunt: speciosiores longe at-  
 que adeo periculosiores huic doctrinae ipsique hominum saluti insidiae stru-  
 untur ab antinonis recentioribus bene multis, qui in h. minimis ad DEVM  
 reducendis itineris curarumque compendium facturi sibi alisque persuasum  
 eunt conversionem ad deum in instanti peragi sine necessaria poenitentia,  
 cuius ipsum nomen indignantur, contritione tristitiaque, sola apprehensio-  
 ne servatoris laetique sensu animi subito & repente immutati sanguine-  
 que Christi a peccatis liberati. Quae desultoria animi emendatio plerisque  
 hominibus nostrarum dolorisque impatientibus grata & accepta ea dinellit  
 & separatae que natura sua Deique voluntate coniunctissima sunt arteque  
 cohaerent, in legem diuinam iniuria est, ipso euangelio abutitur, fidem  
 signo indicioque certissimo priuat atque cum sensu dubio & incerto con-  
 fundit ipsumque fidei & justificationis negotium in internam sensationum  
 immutationem conuertit. Pluribus haec profuere si per tempus litera-  
 rumque limites liceat. Quare quidquid in hanc rem dicendum esse vi-  
 detur alii opportunitati reseruo scribendique nunc fidem faciam si tri-  
 bus verbis TIBI stadium academicum emenso doctrinam profectusque &  
 ipsum hoc specimen gratulatus fuero, DEVMque deprecatus ut salutaris  
 sanctioris scientiae fructus a TE capi vberime in rem TVAM, ciuitatisque  
 sacrae reserri feliciter iubeat, omnemque vitam sibi vindicatum for-  
 tuncet quam indulgentissime. Dedi Halae ad Solum in  
 Acad. Frider. d. XXV. Nou. MDCCXXXIII.

Th 135

ULB Halle

3


004 917 227



m. c.







DISPUTATIO THEOLOGICA

DE

# CONVERSIONE NON INSTANTANEA

QVAM

SVB PRAESIDIO

VIRI PLVRIMVM REVERENDI, EXCELLENTISSI-  
MI, AMPLISSIMI ATQVE DOCTISSIMI

SIGISM. JAC. BAVMGARTEN,

SACROSANCTAE THEOL. DOCTORIS, EIVSDEM IN ACADEMIA RE-  
GIA FRIDERICIANA PROFESSORIS PVBLICI ORDINARII SVI-  
QVE ORDINIS HOC TEMPORE DECANI,

PATRONI SVI AC PRAECEPTORIS NVNQVAM  
SATIS DEVENERANDI

AD DIEM NOVEMBR. MDCC XLIII.

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI EXPONIT

ILLIVS

AVCTOR ET RESPONDENS,

ERNESTVS FRIDERICVS BENING,

OSNAERVGENSIS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,

TYPIS STEPHAN. GODOFR. LEHMANNI.